SANCTI CAROLI BORROMEI CARDINALIS

Encomium

Ad Illustriss. Principem FEDERICVM BORROMEVM, *S. R. E. Cardinalem Amplissimum, Et Mediolanen. Archiepiscopum.*

LEPIDI MACCABRVNI DECANI ECCL. SENEN.



SENIS, APUD HAER. LUCAE BONETTI.
M.DC.XVI. Superiorum permissu.

ILLVSTRISS.^o PRINCIPI FEDERICO BORROMEO, S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO.

CAROLI Borromei nobilitati adiuncta beatitudinis gloria, Purpuræ additus sanctitatis fulgor, Pastorali munere cumulata dignitas, ceterorum quidem perstrinxerunt oculos mortalium, Illustrißime Princeps, nõ tuos: quippe qui eius nobilitatis hæres, purpuræ consors, muneris successor, beatitudinem expectas, sanctitatem æmularis, æterna adhuc viuens præmia, quæ ipse immortalis poßidet, meditaris. Fratris igitur tui Patruelis quam tibi proposuisti imaginem, rudi quasi adumbratam penicillo, paucis, præ operis amplitudine, designatam lineis, tibi Borromeorum familiæ numini, eo consilio dicaui, vt omen optimum Christiani orbis Præsules è cœlo à Carolo, inter mortales verò à Federico deducerent;

& sacræ disciplinæ lumen à duobus coruscantibus sideribus vberius communicatum felicissimè mutuarentur. A te verò, Illustrissime Princeps, quem disciplinarum omnium Encyclopædia mirificè exornat, materiam, non opus: studium, non artem: non vires dantis, sed animum vt expendas, & exquisita, qua soles, humanitate, ac singulari prudentia excipias, pro ea, quæ Sacerdotis est in Sanctissimum Præsulem veneratione demissè, ac suppliciter exposco: dum sapientiam tuam admirans, animi altitudinem veneratus, purpuræ me cultorem amplissimæ polliceor, nullam immortalibus tuis promeritis aliam precatus à DEO felicitatem, quàm, vt CAROLI præsentia, qua mortalis delectatus es, inter beatas, immortalis olim, mentes receptus, cumulatissimè perfruaris.

Vale, sacræ Decus purpuræ.

Illustrissimo Nomini tuo addictissimus

Lepidus Maccabrunus.

S. CAROLI BORROMEI, CARDINALIS ENCOMIVM.

DIES tandem illuxit Quirites, in qua Sanctissimus Oecumenicus Antistes PAVLVS Diuino spirante Paracleto, cuius ductu vniuersa Catholica Ecclesia regitur; aperto Purpuratorum Patrum suffragio; Ecclesiæ demum integro testimonio CAROLO BORROMEO Cardinali defuncto, veros sanctitatis, & gloriæ honores, ad Amplissimæ Mediolanensis Patriæ preces, ad Augustissimæ Italiæ specimen, ad totius deniq; Christiani nominis maiestatem Apostolico iudicio decreuit. Et optimè, à Paulo enim nouo electionis vase in sanctorum ordine describitur is, qui supra tertium diuini amoris cœlum eleuatus, reuelationes Patrum, Angelorum visiones, arcana deniq; DEI, subducto mortalitatis velo, intuetur. Nec immerito Mediolanensis Ecclesiæ Angelo Aras, Templaq; erigi posse summus Præsul perpetua lege sanciuit; sanctum enim Pastorem, qui maxima meritis est assecutus in terris, Beatum nunc, certissimumq; apud cœlestem, indiuiduamq; Trinitatem mortalium patronum futurum esse intelligit. Quapropter iure, & merito in sancti huius honorem oblationes Deo offerri, laudes institui, officia persolui, sacra tandem munera libari adeò non vetuit, vt ipsius Beati Caroli, de peregrinatione ad Patriam, de caducis ad æterna transitum, coniunctis cordibus, solemni cantu, splendidis sacrificijs celebrari omnino præceperit. Ego vero Summo concedente Pontifice, cui diuina virtus affulgens, errorum tenebras obijci, quæ veram adumbrare Religionem, Ecclesiæ Sacrosanctæ velare lumen in ceteris aliquando solent, nusquam finit; Sancti huius imaginem, mortalibus descriptam lineis, virtutum coloribus depictam, sapientiæ decoratam vmbris, Beatitatis splendoribus illustratam, diuino deniq; penicillo ad naturæ ipsius admirationem, artisq; inuidiam, ad rei tandem existimationem amplissimam formatam, in Catholicorum conuentu proponere non sum

veritus. Imaginem enim quis non intelligit eloquentiæ repræsentabit sancti huius Patriæ Vrbis maiestas, ac rhetorum partitionum lineas deducet Caroli Borromei generis cognita nobilitas, dicam amplius sententiarum supponet colores sanctissimi viri morum candidissima species, affectuumq; vmbras excitabit summa in Ecclesia dignitas, Addam, orationi, quam grauissimam ipsius genus exposcit, accedent communicatura splendorem cœlestis honos, viuida gloria, sanctitatis decus amplissimum, absolutaq; in cœlestibus Beatitudo, Carolo, supernæ nunc Hierusalem Ciui, militantis olim Ecclesiæ cardini, diuino iudicio decreta. Soluatur igitur in laudem Pontificis sacerdotis lingua; Purpuratorum maximum oratione celebret Ecclesiasticæ militiæ Decanus: pollutaq; Senensis labia Beato Mediolanensium Sacerdotum Principi, in fulgentissima Illustrissimorum Antistitum Corona, in totius Ecclesiæ conspectu, vbi Beatissimi Pauli absoluta, secundum Deum, splendet Maiestas, debitũ suo iure persoluant. Non enim sacer causæ status, diuino spirante Paracleto, loci maiestas, æterna subleuante potentia, Auditorum dignitas summa ministrante sapientia, dicenti animum, ac spiritum adeo subtrahere poterunt, quin leuissimis vestigijs, breuioriq; cursu, si non singulas, clariores tamẽ, augustioresq; sancti huius virtutes perstringere, transfigereq; non valeat. Inuenta enim Caroli vitæ speculum contemplanda proponet, disposita sanctissimi viri morũ regula proferet. Eloquentur nobilissimis, ac cœlestibus linguis edita miracula, Memoriam reuocabunt pietatis ardor; officiosa caritatis præcepta; Ecclesia deniq; irreuocabili decreto sanctitatem vniuerso Orbi pronunciabit. Vere Quirites ad huius sanctitatis apicem Carolum in ortu optimi designauere Parentes: incitauit Mediolanum Catholicarum Vrbium eximia: euexêre à Religione inditæ virtutes: extulit grauissima Purpurati Senatus dignitas: deduxit tandem animi candor; sermonis integritas, operum ex omni parte illustrium innocẽtia. Sed cum nulla eius vitæ linea, ab ipsius vitæ puncto vsq; ad occasus terminum ducta, sanctitate caruerit, aut gloria, partitos sanctitatis riuulos, qui olim Mediolanensem irrigauerunt Ecclesiam, nunc vniuersum Catholicum agrum mirifice fœcundant, intuentium oculis, limpido excurrentes alueo repræsentemus, Auditores, eorum, à quibus corriuantur, fontes describamus necesse est. Quare si de sola sanctitate, quam Beatissimo Carolo Catholica obtulit Patria; Religiosissimi communicauere Parentes; corporis aluere membra; exquisitæ firmauere disciplinæ; candidi spirauere mores; quam, inquam, promouit dignitas, euexit ei credita Ecclesia, exornauere virtutes, coru-

scantia demum illustrauere miracula, dixero, maximè immenso, quod à me exposcitis, operi satisfactum esse affirmauero. Sed iam ad nascentis Solis huius radios oculos conuertamus. A. vt orationis irrequieto cursu emenso cœlo ad Occidentis ipsius Caroli nitidissimũ iubar mentis aciem applicemus. Togata Gallia Italiæ totius Orbis Reginæ felicissima plaga, amico cœlo, vberioribus agris, frequentissimis Vrbibus nobilissima: Quam prius tenuere ligures, patrio deinde addidere Regno Etrusci; incoluere Galli; ac varijs demum amplissimisq; deductis Colonijs, Consularibus subiecere fascibus Romani; Mediolanum habet Vrbem Europæ clarissimam, Insubrium, dum eorum floruit Imperium, Principem, Romano Prætorio vniuersæ Cisalpinæ Galliæ conspicuam; Cæsarumq; vigente Regno Orbi vniuerso illustrem, sancti nostri Caroli ortu feliciori hoc sæculo Serenissimam. Hæc Barnabæ, quem Christi Apostolus, Vas electionis in partem assumere non recusauit officij, Episcopali primum sede coruscans, Romaniq; Patritij, Sanctissimiq; Præsulis, ac Doctoris Ecclesiæ maximi Ambrosij Cathedra refulgens, præcipuum apud Summos Romanorum Pontifices, post Patriarchales sedes, locum est cõsecuta. Huic dum fundamenta Senones, incrementa Insubres, venustatem, roburq; Romani felicioribus tribuissent auspicijs, ansam pluribus Italiam excurrentibus præbuere Barbaris, vt Vrbem optimè de Christiana Religione meritam, ciuium frequentia præpotentem, omnium naturæ, fortunæq; bonis exuberantem, descriptione, & pulchritudine insignem, dum primum præcipuè pedem in Prouincia figerent, omni conatu, totisq; viribus oppeterent. Hinc Gothis cadente Imperio cedens, Longobardis inclinata Italia patens, Germanis omni denudata præsidio exposita, varias, extremisq; lachrymis deplorandas perpessa est calamitates. Quas tamen constanti animo, irrequietis viribus, perpetuo spiritu, ita fregit, elusit, euasit, vt maiestatem pristinam, dignitatem splendidam, gloriam non defuturam, omnium cum militarium Ducum consensu, tum sapientum iudicio recuperauerit. Ex eo maxime, quod Theutonici Imperij æmula, publicum totius Prouinciæ vexillum, quod aduersus Fridericum Cæsarem, ad ipsius gloriam Vrbis, aliarumq; fœderatarum Ciuitatum præsidium explicaretur, apud se habuit. Sed nec veram Vrbis attigisse laudem profiteor, si hanc militaris disciplinæ prætorium, virorum prudentum Senatum, sapientiæ omnis recessum, bonarum artium dixero officinam, nisi eam Catholicæ, orthodoxæq; Religionis Templum, Sanctorum, Beatorumq; virorum domicilium appellem. Clara extitit Mediolanensi Ecclesiæ, cum Rauennate, de principatu

contentio, secundum Patriarchas in sacris conuentibus pluries sedere solita. Huius Ecclesiæ primatem Thronum sacræ quindecim Cathedræ, pari numero illustres Cisalpinæ Galliæ Ciuitates, mirificè exornant, & Archiepiscopale vexillum, velut fulgentissimis gemmis splendidissimum reddunt, & latissimam, Religiosissimamq; Prouinciam, cui Canones, & Decreta Metropolitana edicit, constituunt. Cum igitur Mediolanensis Ecclesia vndique sanctitatem spirantibus subiectis Vrbibus, cœlesti vbiq; redoleat odore, vt vniuersam suo spiritu recreet Ecclesiam, potuisse sanctissimi eius filij Caroli illustrare conditionem, atq; augere beatitudinem dubitamus? Ethnici oportet Simonidis Poetæ notemus sententiam. Oportere eũ qui vult beatè viuere, Patriam habere gloriosam, eam tamen Catholico sensu excipientes, vt non omnino viam Patriæ sanctitas ad Beatitudinem aperiat, aut iter sternat: sed progredientis ad eam gressus expeditiores reddat. Hanc, quam eximia Vrbs candidissimo viro nobilitatem cum sanctitate coniunctam communicauit, cęlestis nunc Hierusalem declaratum ciuem, DEI assumptum ministrum, Cœli Reginæ ascitum clientem Carolum supereffluenti mensura Patriæ, Ciuibus, ac gentilibus suis reddere, piè credimus. A. & in vtrumq; maxime conferre Parentem. Quibus non Borromeorum Auorum nominibus illustrissimum genus, non Mediceum Imperio, ac nobilitate Serenissimum nomen, tãtum potuit sanguinis afferre splendorem, quin excelsiorem Carolus filius, augustioremq; non defuturam familiæ gloriam, ad cœlum dum triumphans extollitur, reliquerit. Humanum illi procreasse filium, sicut hominem genuerant, arbitrati sunt; non cœlestem, sanguine nobilem; non spiritu sanctitateq; nobilissimum, Patriæ patrem; non vniuersæ Ecclesiæ patronum. Sed quomodo rei expectationem vel maximam ipse superauerit euentus, attendamus. A. In hanc mortalem editus vitam Carolus, immò in hanc viuentem emissus mortem, cum se humanæ vitæ speculatorem, mortis mancipium, sæculi viatorem, mundi hospitem futurum natura intelligeret, ac in ipsa corpusculi infirmitate sentiret, tot ac diuersa mundi intraturus mala, nascens flere, ac interrupti vagitus voces, lacrimulasq; emittere statim non recusauit. Hunc pleno lactauit infantem vbere nutrix, quem longè vberiore de cœlo sinu nostrum omnium Mater Deipara Virgo adolescentem candore fidei, spei alimẽto, caritatis decocto cibo nutritura erat. At quod innocentiam, sacris restitutam vndis, cum ipso nutricis lacte biberit, si quis dubitet, pueri candida vitæ intueatur incrementa. Conceptus enim vt homo, editus vt mortalis, nutritus vt nobilis, educatus deniq; vt Catholicus,

cus, per omnes sinceritatis, sapientiæ, ac sanctitatis gradus ad hominem ipsum, ad viri firmitudinem, ad sacerdotis integritatem, ad Pręsulis demum absolutum exemplar peruenit. Sic teneris ramis adhuc ex terra pullulans, qualis, quantáve futura esset planta clarissimè demonstrauit. Animalem præterea corporis consecutus potentiam, spiritalem adeptus virtutem, naturalia membrorum dum sensit officia, ita direxit in finem postremum, increatum, æternum, vt quas animantium communes retinuit, hominumq; proprias assumpsit partes, ad veri hominis typum, ad moralis sapientis viuam imaginem, ad sacri deniq; viri cœlestem ideam reduxerit. Talia, hisq; sanctiora, quæ suis collocatura est sedibus oratio, Sāctissimus Carolus ex Illustrissimo Borromeorum fonte deriuata, atq; ex augustissimo Mediceorum deducta sanguine, tenero ad tempus clausit sinu, patefacto inde pectore, maturius emisit ad opus. Generis merito ornamentum eximium, Patriæ splendidum lumen, Ecclesiæ cardo præcipuus, optimorum regula Præsulum; cœlorum clarissimum sidus apparuit. Cara hæc Gisberto Comiti Borromeo concessa est Diuina Prouidentia proles, ad ipsius domus solatium sanctissimum, atq; æternum. Læta Carolum Medicea Parens, qui ægrotum mundum sanaturus esset, medicum suscepit. Genere inclytus, Antecessorum imaginibus tota Cisalpina Gallia Borromeus Comes clarissimus, ac Mediceæ Familiæ generosum decus Margarita filium, quantum in eis fuit genuere mortalem, sed diuina affulgente gratia, iugali concordia, morum æquali innocentia, pari sanctitate, cœlesti vitæ genere non dissimiles sanctissimum, atq; angelicum vnico partu felicissimè ediderunt, talem ei membrorum communicantes constitutionem, vt quæ pars in sancto fuerit mortalis, penitus ignoremus. Sed dum adoleuit Caroli ætas, creuit virtus, aucta est gratia, completa est & ad summum deducta prudentia, & tamquam aurum purissimum, omni sanctitatis genere velut igne expurgata est Caritas. Cum vero præcipuum disciplinæ fundamentum in summa bonitate consistat: ipsaq; sit facultas animam curans, vt Platonicis sancitum est, eas quas per auditum nobiliores recepit disciplinas purus Adolescens, ad animā referens, & in sinu Dei reclinans, eximiam, quam omnes contemplantur, consecutus est sanctitatem. Quam vt optimis confirmaret institutis, datos sibi eruditos præceptores, quasi alter Achilles sibi traditum à Peleo Parente Phenicem, verborum Oratores, actoresq; rerum non solum recepit, sed audiuit, egregieq; est imitatus, ex quo factum est, vt sanctissimum inter se fœdus in adolescente sanctitas, ac sapientia sanciuerint. Omnium hic disertissimus liberalium artium professor

futurus, doctrinarumq; possessor clarissimus, ac sapientiæ obseruator acerrimus, virtutum denique sectator; vitiorumq; integerrimus vindex, artificiosam illam eloquentiam, cui reliquarum artium communem materiam, vt propriam, qua vteretur in omnibus, statuêre Rethores, amplexus, vim omnem in ipsa benedicendi ratione, vt quicquid in vnaquaque re, probabile esset, & oratoris disputatione, & artificio dignum videretur, elicere posset, tamquam de omnibus ad vniuersos ordines dicturus, constituit ne vllis esset ipsius sermo terminis, nisi artis limitibus circumscriptus, ex hoc factum intelligamus opportet, vt sub viua præceptorum voce eruditus, demortuorum Oratorum numquam interituris præceptis institutus, rerum pro generis nobilitate, officiorumq; magnitudine, causis excitatus, talis euaserit orator, vt non solum benedicere veritate duce, iustitia patrona, quod multis contigit, sed cum morum sanctitate, & virtutum beneuolentia, quod pauci assecuti sunt, splendidè & oratoriè in scholis auditor, ad populum Præsul, in sacro Ecclesiæ Senatu purpuratus, ad Summum Pontificem nepos locutus sit. Sed quoniam dialectica felici quadam cognatione scientijs omnibus iungitur, hisq; mirifico consensu communicat, futurus Carolus omnium bonarum artium particeps, vt de his periculum faceret, quæ aliæ cognoscunt, traduntq; scientiæ: hanc quoq; à purissimis fontibus præceptorum opera ad satietatem hausit. At cum ciuilis facultas optima sit, cuius ex Academicis subiectum Ciuitas est, finis commune bonum, ministrę Artes omnes, officia vero præcipua leges condere, prouidentia duce, & conditas exequi, promouente iustitia. Ciuilem ipsam virtutem donum, vt vere est, diuinum existimans, quod & in animos temperatos cœlesti munere, Deiq; prouidentia boni ipsius intelligētiam, & leges ad id ducentes infundat. Vt ciuilis sapiens esset, summum sibi, alijsq; increatum præscribens bonum, creditam sibi Ecclesiæ florētissimam prouinciam Religiosissimis quibuscumque artibus adhibitis ad ministris, summum condendarum legum officium, atq; earundem executionis munus prudentia, atq; iustitia, quas dictante Paracleto, insinuantibus Præceptoribus, quos in Ticinensi Regia Vrbe audierat, apprehenderat; felicissime explicauit. Sic vere omnis eius indicta lex sanctio sancta meruit appellari. Sed quoniam philosophia veritatem quærit, Theologia inuenit, veritatis Carolus cultor acerrimus, primam præmisit, vt eam in Secundæ sinu inuentam, securius reclinaret. Philosophi itaq; assumens officium, ac quisitam sapientiam diuinarum rerum applicuit cognitioni: rerum vero humanarum directionem, quæ vel rem suam, aut familiarem, siue publi-

eam respicerent, prudentiæ, atq; iustitiæ commendauit. Dum vero ad summum sapientiæ Thronum, ad extremum doctrinarum omnium gradum, ad postremum virtutum culmen extolli innocens Adolescens, omnis elationis expers enixè curat; Cardinalem Auunculum in summum Ecclesiæ Antistitem audit electum. Lætus quidem pro nuncio, sanctæ spei plenus pro officio, summum illum Paraclетum, qui corda eligentium direxerat, CHRISTVM Redemptorem, qui talem sibi in terris declarauerat Vicarium, Patrem, qui Medicum ad hæresum tumentes plagas sanandas, Christiano destinauerat Orbi, benedixit. Ab eo statim euocatus ad Vrbem, purpuram; quam ipse Pontifex exuerat, induitur, Cardinalis Nepos declaratus, in partem vniuersalis Ecclesiæ regiminis assumptus est. Adolescens princeps euasurus, in purpuratorum Senatum adsciscitur, pubes Sacrosancto Illustrissimorum Antistitum ordini, magnus futurus sacerdos, adscribitur. Ecclesiæ foribus solidissimus figitur Cardo, quibus tunc Pium Pontificem maximum Clauicularium legitimo iudicio Catholica destinauit Ecclesia. Iis igitur iunctus est Cardinalibus Carolus, de quibus sermo diuinus enunciat, Domini sunt Cardines terræ, & posuit super eos Orbem. Cardines verè isti sunt terræ, qui Fores Romanæ atq; adeò Catholicæ Ecclesiæ, Apostolici Antistitis auctoritate firmatas ad eo sustinent, vt hostes eius Hæretici, Schismatici, atq; Infideles non prævaleant aduersus eam: Posuit vero ille omnium creator super eos Orbem, dum Regis Regum in terris Vicarium eorum iudicio electum, populis, tribubus, ac linguis in throno omnium maximo adorandum proponit. Hi aurei Cardines sunt ostiorum interioris domus sancti sanctorum, quos verus Salomon, qui supra firmam petram, lapis & ipse angularis, suam in æternitate duraturam ædificauit Ecclesiam, in Apostolico Romano Templo, verè in Sanctasanctorum affixit. Verè aurei, & dignitate graues, sanctitate fulgentes, prudentia rutilantes, à quibus ignitum si Catholicus aurum petat, haud errabit. Ego vero obrizum, purissimumq; à Borromeo Cardinali Sanctissimo emere suadeo: à Carolo, inquam, qui dilectus Mediolanensis sponsus candidus, & rubicundus, cui rubrum indumentũ Caritas præbuit, simplex conscientia byssum, vt ad sustinendum orthodoxæ Ecclesiæ Cardines inflammaretur ardentius, ac Mediolanensis sponsæ puritatem securius cõseruaret, Christiq; sanguinis partem sibi commissam, ad populorum sitientium ebrietatem copiosius effunderet, & fidei deniq; candorem ouibus apertius communicaret. Rubras vestes hic ab Ecclesia non ad pompam, sed ad exemplum induit, à quibus quasi generosus Elephas, sanguine vuæ ostenso, sti-

mulatus ad pugnam, sub candido vexillo creditos sibi Christianos milites contra mundi huius olim principem, tenebrarum rectorem, inferni tortorem seuerissimum eduxit in prælium. Vt si ipsum interrogasses, quare ergo rubrum est indumentum tuum, facile respondisset, Nonne in ipso Saluatoris sanguine omnia mundantur? & sine sanguinis effusione non fit remissio. Purpureum pro me ceterisq; mortalibus, passurus Dominus, & Præceptor ad Crucem vsq; vestimentum portauit, Quid ego Redemptoris secuturus vestigia, imitaturus exépla, adimpleturus præcepta, purpuram recusabo? excitet coccinea vestis opprobriorum Christi memoriam, vt adimpleam in corpore meo, quæ desunt passionum Christi. Et quod Regum dignitatem auget, atq; splendorem in corpore: id Catholico Antistiti claritatem, & lumen accendat in animo. Sic occisi Arietis rubricatis pellibus homo Dei tabernaculum piè cooperietur in terris. Prudens in officiorum, dignitatumq; partitione obstetrix Ecclesia coccino Caroli manum obstrinxit. A. vt egrederetur prius ad dignitatem ad opus. Pallium, Nobilissimus Miles Coccineum non subreptum idololatris, sed ab Oecumenico Antistite donatum, non abscondit, sed populo Dei intuenti legitimè acquisitum gestauit apertum. Misit vniuersæ Ecclesiæ Dominus nouum Hiram virum eruditissimum, qui in fidei auro, in spei argento, in ferro candenti caritatis, in purpura demum dignitatis, coccinoq; sanctitatis sapienter operaretur, vnde eius purpura sanctitatis, ac gratiæ iuncta canalibus apparuit. cognatus natura Pij Summi in terris Pontificis Carolus, quasi nouus Daniel purpura indutus, innocentiæ torque coronatus, Beatitudinis thronum candidus Domini Propheta est adeptus. Caroli in arduo, quod secum fert amplissima dignitas, regimine prudentia, dum tarda accelerat, perplexa expedit, dura mollit, aspera lenit, ardua demum quæque adæquat, ex paruis magna, ex apertis obscura, ex proximis remota mensurans, sapientis in celeritate modum, iusti in ambiguitate iudicium, lenis in duritie humanitatem, mortalis in asperitate, lenitatem vniuersæ Ecclesiæ ostendit, Principisq; in Ecclesia nomen clarissimum, Cardinalis excelsum titulum, Pastoris decus eximium, Catholicorum iudicio illi parauit. Hic tamen veram hominis iniens existimationem, non purpuram, aut chlamydem, non dignitatem, aut officium, sed vt nudum hominem seipsum respiciens, patrimonium ponens, ponens honores, & alia Fortunæ mendacia, corpus etiam ipsum exuens, ingenuum intuens animum, qualis, quantusq; esset, alieno an suo magnus dilucidè cognouit. Sed & in maximo imperio opes summæ dignitati respondisse quis negabit? Eccle-

ſiaſtica munia officio adæquata fuiſſe quis non intelligit? Regimen poſt Pontificium maximum viro quis non cognoſcit tributum? aut quis ex Catholicis non eſt purpuræ fulgorem intuitus? Sed numquid ſplendidiſsimarum diuitiarum poſſeſſorem, expilatorem, aut in ſublimi quieſcentem ſubſellio elatū, ſiue viri principis ſeuerum iudicium, habituſq; fulgentis liberam experti ſunt Quirites voluntatem? Voluit mihi credite Carolus, vt amaretur à cunctis, ac veneraretur ab omnibus, languida regnare manu, temperato iudicio regere, ſedata mente ampliſsimas Eccleſiæ tractare habenas, Regnum iudicans eſſe illud optimum, Catholicum, diuinum, nolle regnare cum poſsis, eiq; potius ſubijci, cui ſeruire regnare eſt. Sacram Oecumenicam Tridentinam Synodum, quam Paulus Maximus Pontifex ad cohibendos hæreticorum impetus, ac reſtinguendas hæreſum flammas, quæ Germaniam, ſufflante Satanæ ſatellite Lutero, Galliam, prunas præbente Caluino, Angliam regio Henrici ab inferis reuocato igne, magnam deniq; Europæ partem miſero deformauerāt incendio, feliciter aperuerat, Sanctoq; aſsiſtente Paracleto ſummi in throno ſucceſſores proſecuti ſunt, Piuſq; in omnibus, in hoc vero præcipuè, beati huius noſtri Auunculus magno rei Chriſtianæ emolumento clauſerat, ipſe ſibi cū primis ſeruandam indixit, ac ſingulis Chriſtiani Orbis Paſtoribus, vt eius decreta ſeuerius cuſtodirent, ſuaſit. Cum autem nec omnia à ſingulis capi, & ad germanum Sanctorum Patrum ſenſum intelligi poſſent, auctor eidem extit Pontifici Carolus Cardinalis, vt purpuratorum ſelectiſsimorum Antiſtitum præcipuus de his haberetur conuentus, ad quem vniuerſi Eccleſiæ ordines, non intellecta aperienda, dubiaq; enodanda referrent. Inter hos vero ſanctus noſter dictus eſt Princeps. Nullo vmquam tempore Vrbs veſtra Quirites, poſt Apoſtolorum, qui plantauerunt proprio ſanguine Eccleſiam, glorioſiſsimum ex hoc mortali carcere diſceſſum, viſa eſt deſtituta Patrono. At hoc potiſsimum ſæculo Carolum vidit, ſapientia, virtutibus, ac ſanctitate Illuſtrem. Qui partem vel maximam pontificij regiminis proprijs ſuſtinēs humeris, Tiaræ grauiſsimum pondus Auunculo reddidit leuiorem. Purpureumq; Galerum fulgore, ac grauitate mentis aciem ſæpe perſtringētem ſatis oſtenderet iucundum; & Epiſcopale munus, rei ipſius exiſtimatione difficile, præceptis, quæ poſuit, moribus, quibus vixit, ſapientia, qua creditam ſibi Mediolanenſem Eccleſiam rexit, bonum eſſe opus, Apoſtolo altius prædicente, confirmauit. Sed dum virentia Patriæq; dulcia arua purpureus iſte flos exornaret, extremum vitæ, Natura graui infirmitate præmiſſa, communiſq; exitus internuncijs deſtinatis, ſummo Eccleſiæ Principi

Pio, leuer um in omnes sibi datum exercens imperium, mors denunciauit. Præsenti igitur casu reuocatus ad Vrbem, vt Ecclesiæ Patrem, in summo rerum discrimine subleuaret, concito cursu aduolauit. Vbi Pium Sanctissimum Pontificem corpore iacentem ægro, animo tamen integro ad cœlestia erectum inuenit. Quem mera pietate, animiq; sinceritate non de proprio appellauit commodo, aut de dignitate; opibusq; Borromeæ familiæ augendis cum eo egit, non illi domesticam, siue pontificiam familiam officiosè commendauit, aut quicquam cum eo de Successoris eligendi ratione communicauit, nihil deniq; proprium, aut alienum signandum, aut expediendum obiecit, sed sui ipsius, mortaliumq; rerum omnium cura deposita, Mediceum prius admonet Pontificem, vt qui vniuersum Christianum Orbem curaturus in summa resederat cathedra, ratione secum habita, interni morbi qualitate examinata, humanæq; vitæ dubijs consideratis euētibus, extremis seipsum remedijs curaret, animumq; redderet ab æterna morte securum. Decere omnium maximum in terris virū, cui Orbis subijcitur vniuersus, cœlum calcatis inferioribus respicere, vbi thronus eius sicut dies cœli futurus sit. Cōtremiscat terra prudens aiebat consolator, dum exurgit in iudicio Deus. Et cum mors ob peccatum naturæ lex sit, tributum, officiumq; mortalium, ac malorum omnium remedium, non abhorreat legum in terris Princeps, ad cuius sanctissimos pedes Antistitum tiaræ, Regumq; demittuntur Coronæ, totiusq; Orbis in signum vniuersalis dominij exponuntur tributa, animi à corpore, quam nulla diligentia euitat, nulla felicitas impedit, nulla demum potentia euincit, resolutionem. Cœlum, quod alijs reserasti, non tibi optime Pontifex propria conscientia claudat. Nullo prematur onere mortis, qui cœlum viuens tulit. Pius es militantis Ecclesiæ Pastor; triumphatoribus, qui te præcesserunt sanctissimis iungere. Nec fide hæsitet ille, qui perniciosissimas hæreses, hæreticorumq; perditissima monstra elusit, ac Tridentinæ Synodi beneficio, & auctoritate prostrauit. Militans te Ecclesia, mœrens fateor, suum dimittit Pontificem, at illa Sanctorum Vrbs Agni fundata sanguine suum ciuem expectat. Egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, qui iam ad æterna pascua conuolarunt. Mors ista, quæ instat, intermittet: non eripiet vitam, iterum veniet, qui te in æternam lucem reuocet dies. Sed & virtus maxima erit, cum eijciaris, voluntarie exire. Sapienti, ac Catholico nihil accidat inuito. Hanc verò moriendi necessitatem liberè te effugisse cognosces Beatissime Pater, si velle te mori sedato indicaueris animo. Hæc ille spiritu stimulatus diuino sacro eructauit ab ore, dum Pius Auunculus

extremam clauderet diem, atq; in summi Patris sinu, vt credere decet, animam reclinaret. Eius autem mortem Religiosissimus Nepos eodē animo tulit; quo propriam sibi inuigilans expectabat. Exanime deinde Pontificis corpus funere, pro loci dignitate, hominisq; maiestate splendide prosecutus, à cōmuni mortalium temperans fletu: naturales, quas humana emittit affectio, cohibens lacrymas, spiritu magis ingemiscens, Sanctæ viduatæ Ecclesiæ statum altius deplorauit. Sed nihil sibi egisse suadens, & si optime præterita dispensasse reuocaret ad animum, & quæ instabant exquisita se ordinasse prouidentia intelligeret, nisi futura solerti iudicio prouidens pendentibus Apostolici regiminis, vacantisq; sedis necessitatibus celeri pede, opportuno remedio, expedito beneficio occurreret. Id quod vniuersum in demortui Pontificis successore eligendo positū prudentissimus Cardinalis intellexerat. Non minori sibi curæ esse dijudicans, vt post Auunculi mortem Christiana ea futura esset Respublica, qualis eo viuente Pontifice fuerat. In successoris igitur electione, in eum oculos diuina affulgente luce direxit, cuius integra mens, firmissima virtus, perfecta caritas notissimæ essent, cuius in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, in humilitate modestiam, in rebus administrandis diligentiam, in veritatis defensione constantiam experta esset Ecclesia. Quid mirum igitur si sanctus, titulo & re ipsa Sanctissimum Pium huius nominis Quintum in Pontificem eligendum ceteris Purpuratis Patribus proposuit? Dignitas cœlo digna, rubrum Christi cruore tinctum indumentū, Byssina innocentiæ nuntia stola, quantam Carolo communicauerint sanctitatē intellexistis. A. Nunc qualem ex Mediolanensis Ecclesiæ fontibus, sancto ad custodiam traditis hauserit puritatem, & quomodo factus sit in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam, attendite. Dignus visus est Cardinalis Borromeus, qui inter tot micantia sidera Vrbis Romanæ cœlum miro illustrauerat splendore, & inter tot Europæ tenebras sanctitate rutilans, sapientia splendens, prudentia coruscans, tetras vitiorum, atq; ignorantiæ tenebras euincens, effulserat, vt Barnabæ Apostoli Cathedram, Doctoris Ambrosij sedem tertius, non dignitate, & ordine, sed merito, & gloria conscenderet. Vberrimus igitur Mediolanensis Ecclesiæ campus ad Occidentis plagā felicissime positus Barnabæ, Ambrosij, ac minoribus fœcundatus sideribus, quem Antecessorum Antistitum cultura facilem, sacrorum virorum semina fœcundum, Ecclesiasticorum messorum copia redundantem adeo fecere, vt confertam spiritualis frumenti mensuram in commune Romanæ Ecclesiæ horreum contulerit, Borromeo Cardinali ad excolendum

eo tempore traditur, quo cultorum incuria filuefcentem exterminauerat eũ aper de filua, & fingularis ille ferus in aliqua fui parte euerterat. Latifsima vltra centefimum lapidem, maxime ad Septentrionem, extenfa Diœcefis Carolo creditur, cuius caput amplitudinis nota à ceteris Italiæ nobilifsimis Vrbibus diftinguitur, quæ & minora oppidorum retinet membra, quæ maioribus adæquari Ciuitatibus poffunt octingentis præterea diftincta Parœcijs; quinquaginta quafi maioribus fideribus collegiatis illuftrata Bafilicis, quadringentifq; infuper fimplicis ordinis exornata Ecclefijs, ac centum, in quibus fub clauftro degunt Religiofifsimi viri Cœnobijs eminens, feptuaginta, vbi Sacrarum virginum ingens numerus clauditur, Monafterijs refulgens, octingentorum millium fpiritualium Ciuium cenfum cõftituit. Hæc omnia difficile fatis fummo eius Sacerdoti regimen redditura erant, nifi cor docile ei præbuiffet Altifsimus, qui in medio populi pene infiniti Sanctum pofuerat Antiftitem. Mane ergo diluculo adhibitis, qui fecum pondus diei, & æftus ferrent, operarijs, in laboribus focius, in fœcundas Sacerdotum transferens vites, lafciuientium refecans palmites, fœcundiores fubftituens propagines, fidei erigẽs turrim, vineam Canonum fepe circundans, Sacramentorũ, vbi CHRISTI diuinus exprimitur Sanguis, torcular ibi reponens, exquifite ad omnem oculorum oblectamentum, fructuumq; fpeciofifsimam vbertatem, Mediolanenfem vineam ita formauit, vt montes operiret vmbra eius, & arbufta eius cedros Dei. Quare ne commune Vrbis negociũ Patriæ refrigeraret affectum, & ne caftifsimam fponfam fornicatoribus, abfens præberet expofitam, nouus fponfus, vt lætaretur cũ adolefcentiæ fuæ cerua carifsima, facra lege mifsionem à Romana militia impetrans, quã ægrè à pio obtinuit Pontifice, in cõfpectum fe dedit Mediolanenfis Ecclefiæ. Quam vt electam ex millibus fpeciofifsimam redderet, ipfius nobilifsimum caput. Metropolitanam Bafilicam fplendidè ad ęternitatem temporis permanfuris ornamentis decorauit, ac fpiritualium donorum effufa largitione, ad priftinam interioris formæ dignitatem, veteremq; reftituit gratiam. Sed externam, ad quam fancti præfulis beneficio redintegrata eft, pulchritudinem, oculis prius perfcrutemur. A. vt interna inde, ac pulchriora mentis acie luftremus ornaméta. Templi antiquifsimam, quam martyrum nafcẽs Ecclefia appellauit confefsionem, varijs ibi Sanctorum reconditis Reliquijs, Martyrum exquifitifsimus cultor Carolus reftituit. Et vt Deo laudes perfoluerentur decentius, atq; ad pfallendum ardentius loci inuitaret maieftas, Canonicis, cantoribus ipfis, atq; vniuerfo Cathedralis Ecclefiæ Clero artificiofifsimè, ac preciofæ ftru-

ctur&

ſturę chorum extruxit. Aures, vt præterea diuino eloquio paſceret, regulatoq; concentu ſpiritualiter demulceret, in vtroque pſallentium cornu ſuggeſtum, vbi Catholicus Eccleſiaſtes populo Euangelium exponeret, Cantorumq; manſiones, vbi cœleſtis, inter mortales reuocaretur armonia, erexit. Archiepiſcopalis inde ſedis ædibus ad præſulis ex tempore eiuſq; familiæ ampliorem receptum in elegantiorem formam reædificatis. Quod Eccleſiæ opportunum, ac Sacerdotum maieſtati conſentaneum creditum eſt, Ordinariorum, quam Canonicam dixere, Domum proprijs ſumptibus, à fundamentis excitauit. Ipſam vero maiorem Eccleſiam, quam exterius mirificè exornauit, interius diligentius efformandam curauit, vt in fronte ipſius quid agendum, aut curandum minoribus foret parœcijs, Sacer Mediolanenſis Eccleſiæ Senatus vniuerſus intueretur. Vnde prouincialium Conciliorum, poſt Tridentinam Synodum, acerrimus reuocator, ac Diœceſanorum Conuentuum reſtitutor ampliſsimus apparuit. Quorum nationalium ſex, Diœceſanorum vndecim aureo decemnouali reuoluto circulo, in quo ſplendidum hoc Eccleſiæ lumen Mediolanenſe illuſtrauit cœlum, ad Cleri reformationem, Catholicæq; Religionis redintegrationem celebrauit. Ex quibus Mediolanenſis Eccleſiæ acta typis, vt orthodoxæ Religionis, ac totius Chriſtiani Orbis Antiſtitum typus eſſent, atq; exemplar demandata prodiere. Sed cum minimè deceat ſub integro capite manca, aut naturali virtute deſtituta, languida degere membra; ſingulas Eccleſiæ ſuæ partes vrbanas, vel peregrinas, altiſsimo Vrbis muro congregatas, ſeu ampliſsimis Diœceſis lineis diſiunctas, exquiſitis, nec interruptis viſitationibus prudens Medicus infirmitate quacumq; ſpirituali laborantes opportunis applicatis medicamentis ſanauit. Quare, & Eluetijs de fide haud recte ſentientibus, aliiſq; alpinos, ac penè ab Italia diuiſos anfractus incolentibus, nec ſatis in Catholica Religione firmatis, Collegium vbi Philoſophiæ, ac Theologiæ harum gentium alumni operam nauarent, fundauit. Beatæ vero Claræ ex puro fonte hauſtam regulam profiteri volentibus virginibus Sanctarum Barbaræ, & Praxedis elegantiſsima exædificauit Monaſteria. Sanctæ præterea Sophiæ, æternæ intelligite Sapientiæ, Orphanotrophium ſacrauit ampliſsimum, vt parentibus ibi, graſſante peſte, orbatas virgines, Religioſis regulis, Catholicis inſtitutis, decenti victu, ac neceſſaria veſte inſtructas conſeruaret, ne quas corporis tabes ſuperſtites reliquerat, infandi peccati lues opprimeret. Et ne in ea qua vſus eſt prouidentia, dum committendis occurrit erroribus, deficere videretur, præteritis humanæ fragilitatis caſibus infirmioris ſexus oc-

currere volens quatriduanis primum, & carnis tabe fœtentibus, quæ tamen ad Saluatoris vocem excitatæ, monumenta deseruerant vitiorum, recessus locum purissimum ædificauit. Cui ædes, vbi à carnis contagione segregatæ, quousq; aliud de ipsis statueretur, deponerentur, adiunxit. Addidit, vt totum carnis restingueretur incendium, Domum, in qua à Maritis male habitæ, & aliquando destitutæ mulieres, separatim degerent, cœlibemq; ducerent vitam. Viris vero, quos non mortalis illa pestis absumpserat, sed infœlix paupertas, rerumq; omnium inopia sæuior morbus oppresserat, ipseq; misericors Præsul proprio aluerat cibo, ne quos congregauerat, disperderet, Xenodochium in Mediolanensis Ciuitatis suburbijs posuit, & vnde alerentur in futurum vberrime suppeditauit. Et ne magis huius Principis sponsa probatissima careret familia, sed pro dignitatis maiestate seruis stipata, familiaribusq; circumdata, conseruaretur illustrius, oblatorum illam celebrem congregationem vigilantissimus Pastor instituit, eiq; in latissima Diœcesi Basilicam, Deiparę Virgini, cuius nix æstiuis ardoribus è cœlo delapsa candidam omni tempore signauit virginitatem, dicatam, post illius constructionem tradidit, vt congregatorum munus esset, atq; officium Clericorum seminaria regere, Adolescentium præesse Collegijs, prima fidei rudimenta indigentibus tradere, Sacramenta populis ministrare, Euangelicæ intendere prædicationi, ac demum si quando euocaret necessitas, aut Præsulis iussus exposceret, in Parœcijs, alijsq; vniuersæ Diœcesis Ecclesijs, missione ab eodem Antistite impetrata; omnia ea munia exercere, quæ rectam, ipsamq; Catholicam animarum curam respicerent. Vt vero ij, quibus varia pro sui regiminis magnitudine, Ecclesia creditura esset officia, moribus probati, probitate experti, experientia prudentes, prudentia demum sapientes eligerentur, quatuor ædificiorum magnitudine, redituumq; opulentia Adolescētium Collegia, & quæ Tridentinæ responderent sanctioni, illustria Seminaria constituit, Quæ velut quatuor totius Diœcesis anguli, Mediolanensem substinerent Ecclesiam, vnde virtutis, innocentiæ, ac Religionis expurgatissima semina, vniuersæ Mediolanensis Prouinciæ agris demandanda peterentur; Diuinum quippe opus Metropolitanæ Vrbi gratum; cæteris parœcijs vtile, clericis expediens, laicis omnino necessarium, vniuersæ demum Ecclesiæ, eiusdemq; Pastoribus clarum, æternumq; exemplum. Aulicos summi Principis iudicio electos Mediolanensis sponsa probatissimos admisit, qui eiusdem innocentiæ custodes, formosiq; cultus spectatores, creditorumq; munerum seruatores integerrimi, Religione, pietate, ac sapientia, ad ip-

sius sponsi gloriam, maiestatemq; desponsæ aulam ipsam Ecclesiæ decorarent. Nam vt demortuæ temporum iniuria litteræ, arentesque fontium siccitate, in Diœcesi liberales artes excitarentur ad vitam, & ad vberiorem corriuarentur fœcunditatem, quod Ecclesiæ suę ob renascentes hæresum fibras maxime profuturum esse intelligebat Sanctissimus Præsul, Gregorium Maximum imitatus Pontificem, Romano ferè par Breræ Collegium, cuius Scholæ ad omnes resererentur disciplinas, erexit; his præceptoribus traditis, quibus IESVS nomen, Presbyterorum Ordo habitum, Beatus Ignatius Regulam, Hispania Religionem, Maiestatem Italia, totus deniq; Christianus Orbis Collegia, Domos, Templaq; optime de se meritis tradiderũt, Christianorumq; primitias noua Orientis plaga plena obtulit manu. Sed & quos Paulus eius nominis quartus Romanus Põtifex, Regulares Clericos ad perfectæ communis vitæ regulam superioribus annis obstrinxerat, nobilem segetem, amplissimum tunc Ecclesiæ campum fœcundantem, Mediolanensi communicare agro non destitit. His Sancti Antonij Ecclesiam eo libentius commendauit, ac necessaria præbuit, quò & diuinis exactius sacrificijs, frequentiori confessionum auditu, ac facundissimis concionibus, quæ omnia clarissimus iste Clericorum Ordo ex instituto prosequitur, Mediolanensium animi recrearentur. Vtramq; igitur nobilissimam familiam, vt Mediolanensis sponsæ latus exornarent, splendidè receptam, apud se habuit. Huic, cum Diaconus Cardinalis adhuc esset, pulcherrimæ sponsæ coniunctus, vt fratris præmortui semen suscitaret, defunctasq; cum fratre sæculares dignitates reuocaret ad vitam, aliasq; longe maiores à Summo Pontifice Pio destinatas in familia conseruaret, adduci non potuit, vt ei nuncium, abiecta purpura remitteret; sed vt eidem vniretur solidius, inscio Auunculo stimulis incitatus amoris Presbyter fieri voluit, vnam, Sapientis voce excitatus, existimans esse dilectam. Maxima præterea vis, extremumq; robur amoris erga Mediolanensem Ecclesiam sacri huius viri pectus ad ea omnia pepulere, quæ lustris quatuor, multitudine infinita, difficultate insuperabilia, maiestate inclyta, Religione conspicua, pietate illustria, innocentia demum sancta, ac pene diuina peregit, quæ ad Catholicorum notitiam non vaga, sed stabilis; non profana, sed Religiosa; non interrupta, sed continuata fama produxit. Cuius integrum Ecclesia quoq; recepit testimonium, talia enim, ac tanta Sanctissimum Carolum operatum fuisse cognoscimus, qualia nec vniuersus Italiæ Episcoporum Ordo, dicam amplius, Europæ Antistitum cœtus, dicam verius, vniuersi Catholici Orbis Pastorum (si Oecumenicum An-

nistitem, indictumq; ab eo Concilium excipias) congregatio, pro muneris officijq; ratione, eo tempore explere potuissent; Addam quod nec quatuor ante actis seculis Mediolanenses Archiepiscopi consumauere. Diuturnæ etenim orationi tempus haud præscripsit, literarum studijs in summa temporum angustia, diurnas aliquando, nocturnas sæpe sex horas concessit, statis quatuor horis omnes ad Pastorem habentes negocium immoto animo audiuit, precioſioremq; anni partem visitationibus prudens temporis distributor concessit. Ad quas obeundas Aquilone spirante, horridissimo vrgente gelu, vel Austro flante, torrido cœli aspectu, non frigore, aut æstu detentus pedibus frequenter, eisq; nudis aliquando, abrupta, atq; inaccessibilia Alpium iuga ascendens, vel profundissimos, ac omnino inuios vallium penetrans anfractus, ferro fulcitis incedere calceamentis, & nudo sæpius genu Ecclesiæ Cardo, Antistes magnus, gracili, ac delicato corpore Princeps coactus est. Et vehementer admirationem auget, quod visitanti Pastori in summis concionum laboribus, quos ter in die repetijt, atq; in confessionum audiendarum, vsq; ad multam noctem perseuerantia, & in alijs tandem varijs, ac difficilibus visitationis officijs absoluendis, cibum molles castaneæ, & expressi copia lactis, lutulentiq; sæpius fontes potum præbuere, humilisq; satisfecit strata palea somno. Et nihilominus proprij pecoris vultum agnoscere curans, in quo maxima Præsulis vigilantia deprehenditur, nō modo toties repetito munere Mediolanensem Diœcesim omnia eius viscera, atq; extrema penetrans, visitauit, sed latissimos Prouinciæ terminos ingressus, Apostolica auctoritate, Germaniam, vsq; Metropolitanæ respondentes Ecclesias adiens, vt Conciliorum ibi Tridentini, ac Mediolanensium prouincialium Canones omnes vbiq; seruarentur, præcepit. Herculeum pene opus, in quo tamen non vox, non latera, aut manus; non animus vmquam Pastoris defecere. Munus fuit illi Prædicationis continuum, quod vel Pōtificalia in solemnibus exercens, aut augustissimo Eucharistiæ Sacramento exposito, seu in Prouincialibus, ac Diœcesanis indictis Comitijs absoluit. Nec, dum ex ipsius Ecclesiæ instituto, Præsulisúe edicto publicè haberentur processiones, aut in sacrarum Virginum professione emittenda, Ecclesiarumq; diuersarum consecratione, aut translatione Reliquiarum, omisit. Hoc enim officium, vt vno verbo claudam, in omnibus Pastoralibus negocijs, quorum nullum diligens Præsul præterijt, non minus piè, quam eloquenter, nec tam ardenti ingenio, quam sedato animo, elaboratè, ac sapienter, maximo cum rei Christianæ profectu, Hæreticorumq; ad veritatis lumen reductione, vitiorumq; om-

mum eradicatione absoluit. Ad tantum igitur Sanctitatis apicem, Mediolanensis Ecclesia Summum Sacerdotem suum produxit, vt Sanctissimorum Prædecessorum, ac Pastorum gloriam Mediolanensi Gregi iterum repræsentauerit. Quod vt clarius intuentium oculis effulgeat, Beati Ambrosij in Carolo Borromeo splendidam renouatam imaginem producamus. Patricius ille seculi dignitatem abijciens, cœlestis militiæ cingulum, puriore animi ardore recepit: comitis hic titulo Illustris talarem, sacram Leuitarum vestem, alacri induit animo: sublimis ille Ecclesiæ, æterniq; ædificij columna sistitur, Christiani hic orbis figitur Cardo: Mediolanensis Ambrosius Ecclesiæ Præsul sanctissimus, innocens Carolus Mediolanensium Pastor emicuit: Sacrilegi ille ictum in domestico cubiculo, impia iusto Dei iudicio dextera arescente, feliciter euasit, minoris hic tormenti vi expulsam glandem, clarissimo miraculo, in Oratorio orans renibus illæsus excepit: Romanorum ille Augusto carus, Regibus hic, atque Principibus gratissimus; Ecclesiasticæ libertatis, Romanus Ciuis, visus est acerrimus vindex, immunitatis Ecclesiæ, Nobilis Mediolanensis, defensor Illustris est cognitus: Satyri Ambrosius præstantissimi fratris, modestis lachrymis mortem prosecutus est, sedato animo Carolus Friderici germani fratris, optimum ex hac vita discessum, pijs decorauit gemitibus: Liberali ille ingenio ingenuas ad summum excoluit Artes, easdem, tamque cœlestis sapientiæ sorores, hic hospitio lętus recepit: Felix Ambrosij sæculum, diuina referante clementia, Martyrum Geruasij, & Prothasij reconditas vrnas, in conspectu totius Mediolanensis dedit Ecclesiæ, Sanctorum Sisiniani, ac Simplicij loculos, summo Religionis apparatu, ac populi Catholici pompa, in augustiorem locum Borromei Cardinalis opera translatos, præsens vidit ætas. Quid plura? Communem retinuit Carolus cum Ambrosio animi candorem, morum seueritatem, cordis modestiam, corporis continentiam, oris sinceritatem, vt factum esse in Carolo, quasi in altero Elisæo, rapti iam ad cœlum Ambrosij spiritum duplicem, affirmare possimus. Quare Ambrosianæ disciplinæ, Patris, ac Præceptoris Carolus auditor præcipuus, sacrorum temporum iniuria ferè antiquatos ritus, exquisita diligentia restituit; Sic Mediolanensem Cathedram Barnabę, atq; Ambrosij, adhuc sanctitatis thymiamate redolentem conscendit, & nunc inter duo fulgentissima sidera medius, receptos sanctitatis splendores, proprio etiam lumine illustratos, felicissimè reddens, futurum sicut dies cœli Mediolanensem thronum, testis in cœlo fidelis confirmat. Mediolanensem Ecclesiam illi vnicè dilectam fuisse, singulari declarauit exemplo. Magnũ

quippe est, moralibus haud cognitum sapientibus, Christianis Euangelico propositum consilio, omnibus, quæ quis possidet renunciare: maius, officia, munia, dignitates, quæ legitime obuenerunt, voluntario iudicio deponere: maximum, ac penè diuinum, omnibus exutum, maiestate deposita, corpori nobilissimo mollibus enutrito, in principum aula educato, non delicias tantum, ciborumq; diuersorum apparatus, ac varijs saporibus condita nutrimenta subtrahere, sed simplex prorsus, purum, ac necessarium alimentum negare. Hoc autem excellentius intuebimur in Sanctissimo Antistite, Maximi olim Pij Nepote, Cardinale Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Legato, Pœnitentiario Summo, Basilicæ Sanctæ Mariæ in Vrbe Archipresbytero, Archiepiscopo Mediolanense, Oirç Principe, Ecclesiastico censu, amplissimaq; hæreditate ditissimo: Qui hæc omnia, vnica Mediolanensi sponsa retenta, ad Summi tunc Gregorij Pontificis pedes deposuit, ea animi sententia, vt suum se tandem esse sentiret, cum hæc quæ propria aspexisset, sua haud esse intelligeret. Hanc breuissimam, & vnicam ad dignitates cœlestes, solidasq; diuitias viam esse dijudicás, quam ipsarum sternit contemptus, cum habere omnia nequaquam possimus, contemnere vero omnia facile valeamus. Oblatum Summum Romanæ Ecclesiæ Thronum varijs artibus diu effugisse Gregorium Magnum accepimus; Mediolanensem Cathedram, pijs ad tempus declinasse fallacijs Ambrosium scimus, dignitates alios alias, alta petita solitudine, aperto iudicio respuisse, in Sanctorum intuemur elogijs; sed legitime parta, religiose possessa, iustè retenta, non vnũ, sed plura, non parua, sed magna, non humilia, sed sublimia abiecisse raros inuenimus, nostroq; sæculo vnius Caroli viri verè cœlestis vnicum proponere possumus exemplum. Qui vt liberiori corpore, quale Sanctorum semper extra vulgi sensum iudicium extitit, operaretur: solutoq; magis animo, leuius duceretur ad finem, ita abstinuit deinceps à cibo, temperauit à potu, vt diem à principio in hebdomada, priuato destinauerit ieiunio, corpori inde etsi nobilissimo, vt liberiore præcurreret cursu, alimenta restringens, indictam abstinentiæ diem duplicare non dubitauit, reddidit postea, quasi hæc cœlo subripuisset, in quadruplum. Carni verò, quam mortalis induerat, vt eius contereret superbiam, carnem negauit, nouusq; Nazaræus ab infantia Domino consecratus, in ipsa ætatis plenitudine vino abstinuit, ac pane substentatus doloris, & aqua afflictionis recreatus, vilibus obsonijs in solemnibus diebus, operis magnitudine oppressus, refectus est. Simplices caricarum massas, toto sacri ieiunij tempore Sanctissimo Præsuli cibum præbuisse quis credet? Aut nisi cœlesti

quotidie recreatum intelligeret alimento, in maiori hebdomada solis aqua maceratis vesci lupinis, quis admitteret? Sed os clausisse cibo parum fuit, nisi eo tempore manus ad corpus flagellandum soluisset, & pro thorace, cilicium, pro telo, flagellum, ad depellendos humani generis infestissimos hostes assumpsisset. Vigilijs optimus speculator intentus, palearum stramentis, vel humi cubans, noctis, ad summum, post orationem, sacramq; lectionem, horis vix quatuor quiescere delicias existimauit; Et quod caritatis igne, ac pietatis continuo vreretur ardore apertissimè demonstrauit in eo, quod in extremis horridæ hyemis frigoribus, altissimis etiam sub dio aliquãdo niuibus pressus, debile corpus numquam applicuit igni: Stolamq; innocentiæ fomentum præcipuum, ac lectissimum sibi reddere ornamentum clarissimè aperuit in hoc, quod purpuratus & Præsul laneis, hisq; attritis, atq; intermissis vestibus priuatim induebatur, preciosioribus publicè ad dignitatem retentis, illas proprias, has dignitatis esse affirmans. Hæc tamen ita prudenter transegit, vt nõ remittere quidem de dignitate, neque illam summittere, maiestate seruata videretur. Sic enim facilius corpus sibi vir Sanctissimus continuit, sibiq; liberum seruauit animum, & ad sapientis amussim cum basi sua, quam humilitatem esse cognouerat, metitus est. Læto itaq; plausu, diuitiarum, deliciarumq; victorem, superbarumq; dignitatum expugnatorem acerrimum, sanctitatis curru raptum ad triumphum Carolum excipiamus, eumq; iam iam diuinæ caritatis intima penetrantem limina comitemur. Cum ea, quæ Sanctus splendidissimè possederat, sordido diuitiarum nomine iacere intelligeret, vt domus, supellex, serui, pecuniæ, donata vero, atque egenis profusa largitione erogata, beneficij, caritatisq; illustrari titulo optimè nosset; ingenui animi vir, paratas dignitatis merito, generisq; industria ingentes opes, diu multumque miratus, quòd ad se venissent irridens, suas magis esse audiuit, quam sensit. Quare ne diuitem, ac virtutibus locupletem animum ad inopiam aliquando reducere valerent, charitatis annulo obsignatas apud Ecclesias deposuit, & ne purissimos eius oculos effricto auri splendore præstinguerent, in sinu pauperum abscondit. Angusti enim paruiq; animi esse duxit, amare diuitias, nihil vero magnificentius, aut honestius, quam si non habeas, contemnere, sin autem possideas, ad munificentiam charitatemq; conferre. Manus itaq; amplissimus Præsul instante munificentia, priora beneficia sequentibus onerans, apertas, nec fatigatas molestia, aut debilitatas frequentia, non exposcentium ipse vocibus irritatus, extendit ad pauperes. Qui inter mortales te-

creati, & in summa rerum omnium indigentia subleuati, supellectilem, pecuniam, opes, ac vniuersa, quæ Sancti fuerunt Pastoris, nouum quasi Samaritanum charitate vulneratum, bonisq; fluxis, atque caducis spoliatum deferentes in via, in cœlestes thesauros deportauerunt. Quid amplius? Splendidus hic vir, vt Domum intrantes, se potius, quam speciosam Cardinalis principis supellectilem admirarentur, egenis etiam proprias vestes, necessaria indumenta, dignitatisq; ornamenta distribuens, corporis omnino demittens aspectum, animi apud Deum, & homines mirificè auxit maiestatem. Et cum magnus, qui argento, vt fictilibus, nobilissimus princeps, antea vteretur, & auro; apparuisset, non minor tunc, toto in pauperes distributo, fictilibus vtens sicut argento, se longè excellior visus est. Cum autem maxime laudabile sit Illustrium virorum Domus inclytis, ac generosis patere hospitibus, ex cubicularijs probatissimum, quem Hospitij nominauit Præfectum, elegit, qui itinerantes Pastores, aduenas Sacerdotes, ac peregrinos Clericos quoscumque, honestissimè dignitate seruata excipiens, Archiepiscopales Aedes intrare compelleret. Eos verò, quibus vltra montes Patria esset ad leniendos Hæreticorũ animos, atq; ad demulcendam Schismaticorum perfidiam donatos, ac propria recreatos præsentia lætos Sanctissimus Heros dimisit, Et cum ingens in terris exorta pestilentia Mediolanum Serenissimam Vrbem, finesq; eius amplissimos, multorum Ciuium capita absumens altissimo vulnere deformasset, maximus velut è cœlo demissus Medicus, cũ pene vniuersus ipsi concreditus grex iaceret ægrotus, optimus Antistes, animæ primum tumentes plagas, & male affecta inguina opportunis circumligata monitis, & sacro Pœnitentiæ medicamine linita, oleo effusæ misericordiæ fotas, præsens sanare curauit. Corpora inde vestibus tegere, quotidiano recreare cibo, proprijsq; subleuare manibus, grassante pestilentia, nec diuturno victus labore, aut domestici Aeris extenuatione superatus, etsi septuaginta pauperum millia pijssimo essent alenda Pastori, nec instantis mortis, nobilium etiam domos, tunc penetrante morbo, periculo deterritus, numquã destitit. Sic vnã præcipue inter cætera sibi diuinitus communicatam Caritatem, admisit, admissam lectissimis nutriuit alimentis, nutritam ignito, quo in Deum ferebatur amore, accendit, accensam deniq; humilitatis, ac sui ipsius cognitionis cinere fouit; animæ quamuis nobilissimæ, ex ipsius humilitatis mensura, æstimans quantitatem. Quare per singulos huius virtutis gradus, inoffenso pede percurrens, nullum deprauatæ naturæ, aut maculatæ mortalitatis vestigium relinquens; &

quod

quod supra se ex fide agnouerat, intellectu perceperat, voluntate fuerat amplexus, memoria demum diu recoluerat, Deum ipsum Optimũ Maximum: Et quod ipse erat, sui ipsius præmissa cognitione: Nec non quod iuxta se animaduerterat, proximum; quod tandem infra se positum sentiebat corpus, animæ carcerem, caritatis ordine, dilectionis prærogatiua, amoris denique iusta distinctione prosecutus est. Quis igitur Carolum ex solo charitatis nomine, quæ ex Dei sinu egressa implet Angelos, recreat homines, eleuat omnia, deniq; diuini auctoris manu fata, ad ipsius laudem, atq; dilectionem excitat, sanctum nõ appellabit? Fidissima Charitatis comes Castitas lateri à pueritia purissimi viri adiuncta, quo pacto candidiorem eius reddiderit sanctitatem, obseruate. A. Hic vt Adolescentibus lux, iuuenibus regula, viris deniq; via vitæ, ac disciplinæ appareret, à muliere mala, à blanda extraneæ lingua ita se custodiuit, vt nec oculis captus, aut nutibus delinitus, nõ vano pulchritudinis splendore deceptus, nõ lingua quasi Bos ad victimam, aut Agnus lasciuiens ad interitũ ductus, ignem proprio abscondecit sinu: sed continentiæ assecla; castitatis amicus, virginitatis compos, seuerissime sibi mulierum, etiam sãguine coniunctarum interdixerit aspectum: Quibus, si quando vel natiuitatis lex, aut officij munus eas admitteret, oculos auertẽs, auresq; obturans, cordis omnino clausit penetralia, vt ne carnis primos, quos natura in mortali corpore reposuit, experiretur igniculos, Sic Ecclesiæ sibi coniunctæ quasi castissimæ sponsæ fidem seruans, sacro respondens ordini, purissima corporis membra animæ repræsentans, desuper ei demissam virginitatẽ, varijs exornatam virtutibus, cœlo, vt suum vnicuique tribueret, reddidisse credendum est. Memor innocens Præsul diuinę sententię, per quã sapiens Religiosæ menti insinuat: vt ante orationem, vnusquisq; animã præparet, antequam igneo orationis curru, quasi alter Elias eleuaretur in cœlum, diuinũ quotidie sacri officij pensum, nudo genu flexus, statis ab Ecclesia horis attentè singulas percurrens horas persoluebat alacriter. Inde DEI opus, quod est in Christiana Religione præcipuũ, sedato, ac feruenti animi spiritu aggrediens, hostiam AETERNO Patri in memoriam cruenti Sacrificij: non curis altissimis detentus, aut itineribus, si quæ pro Ecclesiæ regimine suscepisset, distractus, nec aduersa vmquã debilitatus valetudine, singulis diebus offerre destitit: Et quasi sibi vni illa Euangelij præscripta sententia esset, oportere semper orare, & nũquam deficere, nullam sine linea diem, quę à sui ipsius cognitionis puncto ad Dei centrum non duceretur, transegit. Concilia oratione inchoata, in Deum semper intendens prosequebatur, ac longo orationis circulo claudebat, Visitatas Ecclesias ad excitandam ple-

bem, singulas, non singulis tantum: sed replicatis horis orans decorabat. Martyrum loculos, Confessorum reliquias, Virginũ Sacra pignora translaturus, quod frequenter, ob beati prę̃sulis in Sanctos maximã venerationem contigit, integras noctes in vigilijs duxit insomnes. Post diuina in Choro absoluta officia, restituta Martyrum, Sanctorum q; reliquijs ornata confessio orantẽ sæpius Archiepiscopum admittebat: Oratorium in Metropolitanis Aedibus priuatim constructum sacrum virum ad altissimã noctem orationibus vacantem excipiebat. Eam vero ex hoc vberrimo orationis campo, sanctitatis segetẽ, quã solertissimus, vir pene diuinus proprijs messuit manibus, collegit, vt cœlestis tritici immensum aceruum, quo debiles, ac ieiunæ fidelium mentes recrearentur, Ecclesiæ suæ ad extrema etiam caritatis tempora eludenda parauerit. Sed & ã perpetua mentis tempestate: ã curarum haud intermittentibus fluctibus, ã feruentibus Pastoralis officij cogitationibus, litium scopulis, rixarũ syrtibus, clamorumq; vorticibus animi Nauiculam concussam quidem, non autẽ fractam, aut rimantem in tranquillum diuinæ contemplationis portum deduxit. Ita tamen, vt præstantissimum animum, & ad omnia natum, remissum aliquando solutum numquam demonstrauerit: inter mortales qui imperant iure reprehendendos esse existimans, eos, qui semper inquieti sunt; & eos, qui semper quiescunt: illa enim tumultu gaudẽs, nec industria est sed exagitatæ conuersatio mentis; hæc verò nec quies dici valet, sed languor, ac dissolutio, quæ motũ omnem molestiam iudicat; alternis igitur vicibus hæc ita Sanctissimus Carolus introduxit, vt sibi quiescenti agendum, agentiq; quiescendum esse iudicauerit: sic in operationũ vmbra radiantem contemplationis lucem sincero oculo aspexit. Nobilissimã animi indolem hoc vno declarans, quòd cum pulcherrimã Rachelem ardenti prosequeretur amore, fœcundissimam Liam numquam dimiserit. Quæ vero harum, maiorem viro, cui iunctæ fuerunt, Sanctitatis dotem attulerit, altissimus supernæ distinguat, quando mortalium id omninò effugit iudicium, humanamq; vincit prudentiam. Eleuatę autem in DEVM mentis firmissima basis linguæ præcipuæ, auriumq; diligens custodia, atq; elaborata depressio fuere. Inter sodales enim Ironia abstinuit, longe inter amicos ã se ablegauit iactantiam, simulatam inter graues viros numquam adhibuit confessionẽ, ã disputationibus omnem prohibuit contentionem, errata, nec vsquam tentauit defendere; quos agnouit veritatis terminos, neq; impugnare est ausus: susurrationem abhorrens; derisionem euitans, maledicentiæ haud assentiens, murmur omne, omni vitæ spatio ab auribus exclusit, relegauit ã lingua; & cuius perfectæ fuere operationes, recta quoque in quolibet

causæ genere apparuere consilia: Signatum quoque secreti depositū, nec lingua prodidit, nec sermone inscio deponenti restituit: Clamorū deniq; ignarus, maledictorum expers improperiorum cōtemptor, discordiarum sedator mitis, ac simplex in totius Orbis cōspectu effulsit, Et quia in multiloquio stultitiam, in adulatione venenum, in vaniloquio despectum, in scurrilitate derisum vir omnium extimator acerrimus deprehenderat, cum his perpetuum sibi bellum indixit. Ita vero fidem, numquam mendax auditus, in mortalium conspectu confirmauit, vt ad eum velut ad sacrum veritatis numen Mediolanenses Itali, vniuersus denique Christianus Orbis, vndique aduolarēt. Ad patriam autem festinans cœlestem, Sirenum mortiferos cantus surda, obturataq; aure, pertransiens felicissimè elusit. Sepiuitq; aures suas spinis, vt linguam blandientem, aut tertiam, quæ bona præuertit, aut minuit, malaq; imponit, vel auget non audiret. Propriam vero linguam, quam noster sapiens semper in corde habuit, ne culpę laberetur ad mortem, ad interitum curreret pœnæ, eloquentiæ addictam diuinarum, humanarumq; laudum pręcipue habuit familiarem. Sed & cetera quę naturę ingenti beneficio integra; lectissimaq; consecutus est membra à naturalibus auocans officijs ad DEI munus maximum, sibiq; creditum explendum reuocauit. Cor enim, vitæ cæteris mortalibus fons, caritatis, huic sedes, amoris domicilium, amicitię centrum à teneris annis in optimè disposito corpore dulciori carcere clausum retinuit, vt Summum DEVM, quem intellexerat, amaret, amando frueretur. Vndique igitur suauem sanctitatis odorem spirantem, gratissimoq; thymiamate redolentem Pastorem suum Mediolanenses excepere. Ex quo autem fonte hanc morum integritatem, ac solidę sapientiæ regulam Heros hic noster deduxerit, vestræ nunc memoriæ restituo Quirites. In Romana illa, quam in Vaticano habuit, domestica celebri tamen selectissimisq; viris ornata Academia; cuius moderatores, post Carolum ipsum Principem. Sirletus purpuratorum Decus, doctrinarū omnium splendor, Græcæ Romanæq; Eloquentiæ parēs, ac Valerius Cardinalis Venetæ Reipublicæ Patricius, Academicæ sapientiæ elucidator amplissimus, bonarum artium Coriphæus, diuiniq; eloquij splendidissimus Interpres, Augustissimi Præsules fuere; vbi minora; non equidem errantia, sed fixa sapientum sidera; maiorum luminum communicato effulxere splendore, optimus vir absolutusq; sapiens euasit. Ibi enim dum sacra, atque ethnicæ sapientiæ in medium afferrentur volumina, vera primum germanaq; expositio, mistici inde sensus; allegoricæ sententiæ, morum præcepta tantorum Patrum calcata torculari promebantur: Hæ Sanctissimo huic Viro fuere Academicæ Quæ-

ſtiones, hę Stoicorum elaboratæ ſententiæ; hæ Acticæ noctes, Saturnaliaq; Quiritium, hi Tuſculani receſſus, in quibus, non ſordida, aut futilia, non obſcura, aut ignota, non indeterminata, aut inconſtantia, ſed heroica, ac ſolida, ſed clariſsima, ac credita, diuino tandem firmata decreto, ſelecto iudicio, vt eſſent diſputationis argumentum proponebantur. ex hoc ſapientum Lyceo, iuſtorum Areopago, ſapiens ipſe, ac iuſtus Carolus maximę, qua effulſit, ſanctitatis partem retraxiſſe intelligite A. Sed quis altiſsimum hoc ſanctitatis cœlum, fidei caritatiſq; maioribus luminibus coruſcans, cœleſtibus virtutum imaginibus ſplendens, cui lectiſsimam formam Religio, perſpicuitatem ſapientia, leuitatem contemplatio, ſimplicitatem innocentia communicauere, ab Oriente humilitatis, ad Occidentem rerum omnium cõtemptum, celeri curſu perpetuoq; ſublimium operationum motu, atq; irrequieto ordine cuncta ſibi ſubiecta fœcundans integris lineis deſcribet? Quis corporis materia puriſsimum, animæ forma ſimpliciſsimum Orbem, æquinoctiali Iuſtitię diſtinctum circulo, Fortitudinis, ac Temperantiæ Tropicis præcinctum, Prudentiæ Zodiaco ornatum, in altiſsimę ſpei ſede, quæ Firmamentũ attingit, collocatum delineabit? Quis eius lacteam virginitatis ſemitam, minoribus, cõſpicuis tamen gemmatam Aſtris, mortalium, & propria viſus virtute ad hæc omnia recipienda haud idoneis oculis reprę ſentabit? Nube totum obtegamus ſilentij, vt aliquando altera ſpirante orationis aura, omni obſcuritatis velo diſciſſo, ſplendidius cuncta illuceſcant: Attamen & in noſtrę orationis nube, vindicantis Paſtoris noſtri Eccleſiæ iniurias, tonitrua, arguentis ſecularem licentiam fulgura, procellarumq; aduerſus mundi errores vehementes ſpiritus, ſinceræ Chriſtianorum mentes agnoſcant. Concedimus A. quod ſi naturalis Dies, cœli ipſius durationi reſponderet, orationiſq; genera cœlorum numerum explerent, ſententiarumq; apparatus ſiderum formas adæquaret, aut eloquentiæ numeri numeroſas Aſtrorum acies vincerent, vnius minoris mundi mens cœlum; de quo paulo ante locuti ſumus facile caperet. Omnium iam virtutum decurſo ſtadio glorioſus Athleta, proprij corporis victor, animi debellator eximius; cum exquiſitã victoria paruum ſui Mundum deuiciſſet, vitiorumq, cateruam Religionis, innocentiæ, & caritatis vinculis alligatam duceret in triumphum: poſt humilitatis, in quo reſederat, thronum: ita omnium iuſto belli titulo, factus poſſeſſor, vt pedem vbi in alieno figeret, non haberet, quaſi nouus Alexander in ipſo, non vanæ, aut mortalis, ſed ſolidæ, & immortalis gloriæ curſu, in florenti ætate vnius inferioris Orbis deuictor, nouum mundum ad ingentes ſatiandos ſpiritus exquirens, quaſi & ipſe cœlorum regno vim

facturus decessit: Macedone longe clarior, cui etiam nec noster, quem ambitiose, vt alterum meditaretur, spreuerat, totus apertus est Orbis, qui Caroli vndique virtutibus patuit. Secesserat Religiosissimus Cardinalis CHRISTI nouissimum, atque cruentum agonem familiari silentio contemplaturus in Varalli Montem, cum lenta eum à principio corripuit febris, quam etiam spirituali Medico Francisco Adurno, à quo pendebat, ne inceptum intermittere cogeretur opus, abscondit: Sed iam iam vires suas detegẽte morbo, Mediolanum, per lacum paruo nauigio aduectus, inde equo peruenit. Mirum dictu dum longum æger peragit iter, sacrã illam quotidie augustissimi sacrificij oblationem, ac diuini officij pẽsum, orationi, aut sacro sermoni, haud parcẽs, persoluit: dum penè singula debilitata membra naturalis officij munus negarent, solusq; integer animus omnibus responderet, in Mediolanẽsi vero Vrbe exceptus à suis, visitatus à Medicis, sacri vniuscuiusq; ordinis recreatus aspectu, in extremum intentus finem, rei suæ exitum hilaris, immotusq; expectabat. Eamq; lætissimè vocem excepit, qua spiritualis Pater lacrymans, tremensq; pronunciauit. Eum paucis ab inde horis esse moriturum. Sed quid mortem timere poterat is, cui tota vita certissimum fuit iter ad mortem? Ceteros sui seculi mortales patientia vicerat, & vnam non poterat consensu humani generis hostem superare? Iam spiritum vim corpori facientem cernere erat. A. quem æterni ad cœlum regressus, postliminij desiderium, voluntas deniq; moriendi properè exire cogebant. Vir fortissimus, cœlesti ad sustinendos extremos mortis labores, recreatus Viatico, Sacro, vt viuidior exiret contra communes hostes in prælium, oleo vnctus est, quid mirum si Ecclesiæ modulans hymnos, ex mortali carcere solutam animam, vt post exilij sui annum septimum, ac quadragesimum remearet in patriam, lætus emisit? Eam, inquam, animam, quã statim socia Beatorum Cohors, Chorus vniuersus Angelicus, ac sinu, quo IESVM lactauit Deipara VIRGO excipiens, CHRISTO Redemptori repræsentarunt. Dum vero ingens cœlum lętitia occupat: lachrymę iustissimæ excitãtur in terris, quas ex intimis præcordijs reuocat Viri nobilissimi, pijssimi Pastoris, ac Sancti Patris intẽpestiuus interitus: mœror gentilium pectora tangit, ferit relictarum ouium gemitus cœlum, Sacræ resonãt Clericorum suspirijs Ecclesię, vertitur in luctum Monachorum Cithara, vniuersæ demum viæ lugent, quando nec amplius venientem visuræ erant Summum Sacerdotem suum ad solemnitatem. Nihil autem defuit nisi Beatissimi Romani Pontificis auctoritas quominus illius quod celebratum est augustissimum, ac Religiosissimum funus in natalitiam conuerteretur solemnitatem, vtq; defunctus Sanctus publicè,

ficut priuatim factum audiuimus, ab omnibus veneraretur. Vniuersa Sanctissimi CAROLI vita, sicut Christianę nobilitatis illuminata radijs, clara virtutibus, sanctitate, quæ toti Ecclesiæ effulsit mirabilis extitit; sic gratiarum rore, cœlestium donorum affluentia, miraculorum copia Illustris vniuerso resplenduit Orbi; Non enim Sancti præcocé ætatem linguarum genera tantum, non pueriles annos sola interpretatio sermonum, non florétem iuuentutis statum ipse solus sapientiæ sermo, non virile robur virtutum dumtaxat operationes exornauerunt, sed totum hominem manifesta clarificauere miracula: Fuit, mihi credite, Cardinali Borromeo viuere multorum vita, mortis excessus, plurium à corporis infirmitatibus, animiq; vitijs recessus, mirabilia perpetuo successu facta sunt circa sepulcrum, vestimentorum odor exuberanté de cœlo benedictionem mirifice impetrauit, Sancti, DEO auctore, reddidit Imago veram sanitatis imaginem, sic ex quinque huius sacræ Piscinæ porticibus languentiũ multitudo integra donata sanitate egressa est. Sed ne singula, quæ DEVS ostendit in Sancto mirabilia, iam exquisita diligentia notata, quæ nec velox describere calamus, aut eloquens enarrare lingua: nec tenax retinere memoria valent, repetamus, ipsorũ leuiter capita perstringemus. Cœlum. A. innumeris quibus splédet oculis, multitudine infinita, sublimitate clarissima Sancti huius intuitus est mirabilia, quæ vberius ad CAROLI BORROMEI gloriam omnium bonorum elargitor DEVS mortalibus ostendere non recusauit. Spirantes Aquilones, tumidumq; mare, CAROLI inuocato nomine, quieuerunt. Aqua suis penè vndis absortos, ac per fluminum profundissimos alueos puerulos, quos nec natandi eripere poterat ars, Sancto obediens restituit. Et quæ corruptus aër morborum varia genera corporibus communicauerat, CAROLI viuentis manus, demortui merita, DEO annuente, momento temporis curauere. Alumnos suos languentes terra sanitati restitutos excepit. Mediolanum Patria Ciues, Nobiles, Patricios à quacumq; detinebantur infirmitate Sancti viuentis præsentia, mortui patrocinio sanatos ita cõspexit, vt nulla ferè amplissimæ Vrbis domus, nullus Religiosorum virorum recessus ab affluentibus Sancti beneficijs vacuus fuerit inuentus. Nec ea vnius Vrbis solus ambitus restrinxit, sed clarissimæ Cisalpinæ Galliæ Ciuitates, Etruria, aliæq; Esperiæ Prouinciæ, Roma demum ipsa Sancti gloriam miraculis vndiq; fulgentem, in suis visceribus respexerunt, quæ transcensis Europæ lineis vniuersas mundi plagas, vbique sui vestigium relinquens occupauit. CAROLI Miracula diuina largitione in omnem transfusa sexum, per omnes euagata ætates, familiares, aulicos, sacerdotes, eos deniq; qui Sanctum maledictis fuerant insecuti comprehen-

derunt.Internę,atq; intra venarum riuulos receptæ febres,quæ totum occupantes hominem spiritum iam iam moriturũ ad animæ ostiolu m depulerant,ab ipsius corporis possessione deiectæ sunt: Pestilens su b-centi humoris ardor Sanctissima Caroli aura restinctus est. Vlcera,sa n-guinis non bene affecti linita veneno,internos penetrãtes artus,me m-brorum sensim corrodentia cutem,ad Sancti suffragia cicatricem o b-duxere. Hydropisis desperata salus, Caroli beneficio diuinitus reuo-cata aduenit. Sanguinis fluxus, Caroli à Deo delegata virtute stetit. Ingentis morbi vi in scisso corpore prominentia ælta ad cõstitutũ sibi à natura locum retrahi Sanctus,à naturæ conditore obtinuit.Splendi-da lux, Diuina emittente Prouidentia,ad Caroli preces cæcis appa-ruit,& quem natiuitas eis negauerat visum Sancti illustratus Occasus, diuino prius illuminante radio, concessit. Sanctitatis Borromei Car-dinalis redundans gratia ex profluente Dei fonte deriuata,arẽtia ali-quorum membra adeo viuificauit, vt eis negatum motum restituerit. Laterũ dolore laborantibus exquisitis innocens Pastor laboribus,qui-bus cœlestem vitam exercuit obtulit sanitatem. Calculi durissima,ac lachrymis deploranda obstructio,meatibus fœlicissimo exitu apertis, iubente Deo in Sancti gratiam recessit. Regius morbus summi Regis imperio, Pastoris merito longe ab humanis corporibus effugit. Fir-mata Paralyticorum membra stabili Sancti virtute vidit Mediolanum. Vlcerata Mulierum vbera,quę Carolus in matre suxerat,vberrimo à Deo elicito beneficio,sanauit.Loquendi facultatẽ,quam ingens mor-bi subtraxerat vis,pene extinctã diuino annuẽte verbo,reuocauit.Ma-leficorũ artes superatæ,veneficia elusa, Dæmonum corporibus repræ-sentata obsidio dissoluta: Incuborum spirituum petulantia depressa, Beati Pręsulis maximam arguunt Sanctitatem; singuli artus qui debi-tum corpori denegauerant morbo prępediti officium,restituti mune-ris Sancto gratiam,si eloqui possent: faterentur habere,vel maximam. Vna mors sæpius victoria,quam certissimẽ sperauerat,priuata, opima spolia manibus Sancti sibi cœlesti circuitu erepta crebrius deplorauit, ac in eius deductos triumphum mortales solutos à vinculis deſidera-uit. Puerulum enim, cui funus mors ipsa parauerat Caroli intercessio viuentem cunis restituit:Mors dicam,quæ omnia adæquat in ipso ex-tremo obtentæ iam iam victoriæ puncto,quãdo corporis deditionem fieri sensus passi erant,pacem ad tempus dare iussa multis mortalibus concessit. Nihil igitur prohibuit. A. Beatum Cardinalem in Sanctorũ ordinem referri, cui beatitudinis lux; gloriæ splendor affulsit, cui in purissimo Aeternitatis Orbe tot micantia sidera claritatẽ: propriæq; virtutes lectissimas Sanctorum dotes communicant. Quare Pavli,

qui Sancti Sanctorum vices sub stinet in terris, spiritum excitauit Paracletus ille, qui super Ecclesiæ aquas ab ipso conditi Orbis exordio, vt regulato motu diuina littora pulsarent, ferebatur, & fertur, quo CAROLVM BORROMEVM, DEI non amplius seruum, sed amicum, Sanctorum honore vniuersæ Ecclesiæ venerandum proponeret; in insigni solemnitatis die in qua Holocaustum illud Sanctissimum Domino clangétibus Doctorum tubis, occisorum pro CHRISTO Martyrum innocétes Vitulos, Confessorum inter mundi veperes hærentes Arietes, Virginum, qui modo ascenderunt de lauacro, candidissimos Agnos, Sanctorum omnium commemoratione solemni, iubilans pie DEO offert Ecclesia. Ille enim, qui & dignitate, nobilissimæ Ecclesiæ Pōtifex, prædicationis munere Apostolorum imitator Eximius, Martyrij affectator egregius, confessionis laude clarissimus, Anacoritarū, etsi Purpuratus, sectator assiduus, continentię, dicam verius castitatis, dicam amplius virginitatis cultor integerrimus extitit, Apostolorum Choris interesse, Martyrum misceri triumphis, Cōfessorum claudere coronā, Heremi cultorum illustrare solitudinem, Cœnobitarum implere sedes, canticum deniq; cum his qui virgines empti sunt de terra, concinere in Sacra signatorum omnium celebritate, in cuius octauæ tertia luce spiritum resignauerat, Apostolico iudicio declaratus est. Ergo Beatissime PAVLE, qui Apostoli tui exemplo cum liber esses, omnium factus es seruus, dum CAROLI viuentem hostiam, Sanctam Præsulis innocétiam, immaculatam Cardinalis Sanctitatem hoc accepto tempore in holocaustum suauissimum Domino non es dedignatus offerre, cum id gentes à PAVLO suo iure exposcerent, & cœlestis à Pontificio Throno purissima Cohors ad sui ordinis maximum Decus, æternumq; ornamentum exquireret, Catholica vniuersa magna tibi debet, maioraq; in futurum precatur Ecclesia. Consurgentem enim Romanæ FRANCISCAE per te læta primum vidit auroram, mox CAROLI Solem mortali nube denudatum, micantem in Cœlo Sanctissimo tuo Decreto contémplatur apertius. Inter has igitur, quæ tibi fabricatus es Auroram, & Solem, nunc Sanctitate fulgentem in terris, ac post longissimum æuum in æternitate coruscantem medium, atq; ab his, quos cœlo addidisti, Sanctis, clarissima velut prole circumdatum Christianus Orbis cernere sperat. Hæc enim duo maximè ingenti tuo in Christianam Rempublicam merito respondere existimat; vt diu Beatissimus viuas, & reditum inde Sanctissimum in Patriam habeas, quod faxit DEVS ad gloriam sui nominis sempiternam.